



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

139. An intelligens aliquem librum esse hæreticum comburendo illum, &
non Inquisitoribus tradendo incurrat excommunicationem huius canonis? Et
quid de peccato? Ex p. 1. tr. 11. res. 37.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

posse libros hæreticorum legere, quia hujusmodi Commissarij censentur à Sede Apostolica instituti, licet hoc non admittat Bonacina loco cit. & Merolla in *disp. Theol. tom. 3. disp. 1. cap. 2. diff. 11. num. 415.* cum Sanchez ubi supra, quia facultas legendi libros hæreticorum conceditur Inquisitor autem non est Sedes Apostolica, ergo, &c.

3. Notandum est tamen quoddammodo stando in hac secunda opinione in Regnis Hispaniarum solus Inquisitor generalis habet potestatem legendi libros hæreticorum, & cui ipse commiserit, & non alij Inquisitores, ut patet ex Bulla Pauli V. apposta in principio indicis expurgatorii. Vnde neque Episcopi possunt dictos libros legere. Et ideo hic in gratiam studioforum ponam pulchrum locum Didaci Cantera in *99. crimin. cap. 1. de hæret. num. 64.* ubi sic ait: Si aliquis haberet libros hæreticorum, per Inquisitores anathematizaretur, ut fuit factum per Inquisitionem Conquensem contra Episcopum Conquensem, qui dicebat eos teneri ex particulari privilegio. Ita Cantera, quod est valde notandum. Sed ego in tali casu consulerem DD. Inquisitoribus, ut Summum Pontificem de hoc certiorarent, & in Regnis Hispaniarum Inquisitorem generalem; quod autem Episcopi non possint legere libros prohibitos, firmant novissime Mauricius Alzedus in *praxi Episcop. part. 2. capite 6. numero 75.* qui citat Navarrum, Azorium, Sanchez, Delrium, Barbosam, & Pegnam.

4. Sed pro coronide hujus resolutionis apponam hic verba Homoboni de Bonis in *exam. Eccles. part. 2. tract. 11. cap. 7. quest. 15.* ubi sic ait: Advertendum est etiam à doctis integræque fidei viris ex urbe referre libros, qui non sunt hæreticorum, nec de hæresi tractant, neque contra fidem falsa, vel suspecta dogmata continent, aliqua tamen alia ex causa prohibitos posse viris dignis ab Inquisitoribus permitti, qui quidem gratis ex scripto manu sua subsignato tribuunt, & de triennio in triennium facultatem renovabunt: at in foro conscientie illam licentiam oretenus habere sufficere videtur. Ita Homobonus. Verum post hæc scripta Urbanus VIII. p. m. derogavit omnes licentias legendi libros hæreticorum, & omnes alios prohibitos, & hodie hanc potestatem dat solum sacra Congregatio.

RESOL. CXXXVIII.

An Inquisitores possint præbere licentiam legendi libros hæreticorum?

Et quid de Generalibus Religionum in Regnis Hispaniarum, vel an solus Pontifex talem licentiam possit præbere? Vnde neque Collegium Cardinalium Sede Apostolica vacante prædictam licentiam concedere possit? Et an Urbanus VIII. novissime annullaverit omnes licentias legendi libros prohibitos? Et an nemini liceat libros hæreticos ad suas manus devenientes propriæ auctoritate comburere, sed eos ad Inquisitores deferre teneantur? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 99.

§. 1. **R**espondeo negativè cum Sanchez in *summa tom. 1. lib. 2. cap. 10. num. 43.* & Soula in *aphorism. Inquis. lib. 1. cap. 2. num. 62.* solus enim Pontifex potest talem licentiam præbere. Vnde neque Collegium Cardinalium Sede Apostolica vacante prædictam licentiam posse concedere, ait Merolla in *disp. Theol. tom. 1. disp. 1. c. 2. diff. 12. n. 419.* & alij, quicquid asserat in contrarium Vgolinus.

2. Nota etiam quoddammodo privilegium Gregor. XIII. in factum Generali Societatis Iesu ad legendum, vel purgandum libros hæreticorum, vel alias prohibitos,

seu etiam ad facultatem dandam pro his, & similibus concessiones revocatae sunt, tum per privilegia amplius summa sanctæ Inquisitionis in his Regnis Hispaniarum, tum quia Societas cessit privilegio in Congregatione sancta, & ita observat Emanuel Rodriguez & Hieronymus, ille in *questionum Regularium tom. 2. quest. 82. art. 3. iste in compend. questionum Regular. resolut. n. 1.* quibus adde Pottel in *dubijs Regular. v. s. lib. 1. rum prohibitio, num. 3.* Urbanus verò VIII. novissime annullavit omnes licentias legendi libros prohibitos.

3. Notandum est etiam hic obiter quoddammodo Hieronymus Rodriguez ubi supra num. 3. docet, nemini licere libros hæreticos ad suas manus devenientes propria auctoritate comburere, sed eos ad Inquisitores deferre, sed re tenetur, juxta constit. Julij III. id præcipiens; alias potest procedi contra ipsum ac si esset hæreticus, quod intelligunt aliqui, nisi ex tali manifestatione, seu traditione refutetur manifestanti, seu tradenti ali-quod grave periculum suspensionis de hæresi, tunc etiam posse tales libros per seiplos comburere affirmant. Id tamen minime admittendum est propter damnum quod ex eo eveniret potest Catholicæ fidei ac Religionis, nam deferendo hujusmodi libros ad Inquisitores, ut inquirere possint an ultra traditos alij similes supersint, & an ipsis male usi sint, & à quibus eos acceperint. Ita ille. Sed de hac questione ego alibi fusius egi.

RESOL. CXXXIX.

An intelligens aliquem librum esse hæreticum, comburendo illum, & non Inquisitoribus tradendo, incurrit excommunicationem hujus Canonis? Et quid de peccato? Ex p. 1. tr. 11. Ref. 37.

§. 1. **R**espondeo, quoddammodo communiter Doctores docent, quem non posse propria auctoritate libros tales comburere; sed teneri illos deferre ad Inquisitores. Ita Suarez *tract. de fide, disp. 20. sect. 2. n. 23.* Azorius *tom. 1. lib. 8. c. 16. q. 11.* Delrium *disp. magis, tom. 3. lib. 5. sect. 17.* Farinacius *de hæresi, quest. 180. n. 40.* Barbosa *de potest. Episc. p. 3. alleg. 9. c. 1.* Soula in *Bull. Censur. cap. 2. disp. 15. concl. 3. n. 4.* Homobonus *de exam. Eccl. p. 1. tract. 7. cap. 2. quest. 12. & p. 2. tract. 11. cap. 7. quest. 15. resolut. 2.* Duardus in *Bull. Censur. lib. 2. c. 1. q. 5. n. 1.* Cherubinus in *compend. Bull. tom. 2. conf. 76. p. 17. sibil. 2.* Riccius *p. 4. decis. 255. n. 4. & decis. 360. num. 7.* Alterius *de cens. tom. 1. disp. 2. lib. 5. c. 7. & alij.* Et fundantur in quadam Constitutione Julij III. qui hoc videtur præcipere.

2. Sed non reticebo, contrariam sententiam docere Zanchinum in *tract. de Hæreticis, cap. 7. num. 7. & Repertor. Inquisitorum, verb. libri.* Filliucium *tom. 2. tr. 2. cap. 7. num. 208.* ubi exculat comburentes propria auctoritate, aut tradentes illis, qui dictos libros legere possunt: quod antea etiam docuerat in *tom. 1. tract. 16. cap. 3. num. 45.* & hanc opinionem referens Bonacina *de cens. disp. 2. quest. 5. punct. 4. num. 20.* in nova editione non improbat, & ideo videtur illam admittere: & multi ex Authoribus citatis, ut Alterius, & Riccius, & Antonius Riccius in *tr. de jur. personarum, lib. 5. cap. 24. n. 2.* & Campeggius in *addit. ad Zanchinum de Hæreticis, cap. 7. n. 7.* contrariam sententiam, quam ipsi tenent, vocant tantum veriorem, & tutiorem. Ego secundum dictos Authores sententia Filliucij est probabilis.

3. Sed, quicquid sit de peccato, ut bene notat Pottell in *add. ad dubia regul. verb. libri prohibiti, num. 13.* certum est, illos, qui libros hæreticos comburant propria auctoritate non incurere in excommunicationem Bullæ Censuræ, quia tales libros comburendo, illos non

Et Potestate Inquisitorum. Ref. CXL. &c. 469

non retinere. Et ita etiam docet Sanchez in *sum. to. 1. lib. 2. c. 10 n. 56.* & Suarez ubi *sup. tract. de fide disp. 20. sect. 2. n. 23.* & alij.

RESOL. CXL.

An in retentione librorum hereticorum detur paritas materia; ita ut qui per unum, vel duos dies retineret librum prohibitum, non incurrat in excommunicationem Bullæ Cœnæ, vel Indicis? Ex part. 5. tract. 5. Ref. 43.

§. 1. **A**D hoc dubium Suarez *tract. de fide, disp. 20. sect. 2. num. 22.* respondet distinguendo, quia vel retentio procedit ex voluntate absolute retinendi librum, & tunc dico quamcumque retentionem esse peccatum mortale, etiam si mutata voluntate brevissimo tempore durer; Hoc probat ratio facta, quia voluntas illa, peccatum mortale est, & ab illa procedit exterior retentio. Alio vero modo contingere potest, ut aliquis habens propositum tradendi librum, in executione sit negligens per aliquam brevem moram, & tunc facile poterit excusari à culpa mortali, tum quia in voluntate non habet propositum contrarium præcepto, & negligentia potest esse levis, & ipsa mora est quasi materia illius omissionis, & ideo ex brevitate potest esse levis, ac denique illa non est tam retentio, quam dilatio, quæ interdum potest excusari ab omni culpa, si ex rationabili causa fiat. Ita Suarez, cui adde Hurtadum de Mendoza *vol. 1. disp. 76. sect. 1. §. 12.* ubi sic ait: Peccant contra hanc legem, qui libros retinent, si enim liber sit proprius, si alienus, si cum calleat, si ignoret omnino, labitur in hanc poenam, nisi exiguo tempore id faciat: si enim decernat post breve tempus librum tradere, non est peccatum mortale, secus si uno instanti habeat actum retinendi librum longo tempore. Sic ille.

2. Sed contraria sententia mihi magis placet, pro qua in *1. p. tract. 11. ref. 30.* adduxi Sanch. & Duardum, quibus nunc addo Reginald. in *praxi tom. 1. lib. 9. c. 14. n. 256.* & Castrum Pal. *tom. 2. tract. 4. disp. 2. punct. 10. §. 2. n. 11.* quia gravitas retentionis non desumitur solum ex libro, qui retinendus est, quod inde constat, nam si haberes voluntatem retinendi una hora librum, & statim illum tradendi, non video qua ratione quis dicere possit, te gravem culpam commississe. Requiritur ergo ad retentionem gravem mora temporis: ergo si tempus, quo de facto retines librum, breve est, etiam si voluntatem haberes longo tempore retinendi, retentio illa exterior levis censeri debet, ad effectum incurrendi censuram, quia non incurritur censura ex voluntate retinendi, sed ex voluntate executioni mandata, quæ cum non sit integra, & in materia gravi exercita, sed in materia levi, non sufficit ad incurrandam censuram: ergo, &c. Et ita hanc sententiam docet etiam præter Doctores citatos Iacobus Gordonus in *sum. tom. 2. lib. 2. quest. 13. cap. 8. §. 3. num. 81.* Si quis igitur per unum, vel duos dies retineret librum prohibitum, non incurreret excommunicationem Bullæ Cœnæ, vel Indicis.

RESOL. CXLI.

An privilegium ab Inquisitoribus huius Regni Sicilia ad legendos libros ab ipsis prohibitos, possit uti hoc privilegio in alio territorio, v. g. in Regno Castella? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 100.

§. 1. **N**egativam sententiam docet Suarez de *legib. lib. 8. cap. 26. n. 8.* quem sequitur Laurentius Tom. V.

Portel. in *dubii Regular. ver. libri prohibiti, num. 4.* ubi sic ait: Lusitanus habens licentiam legendi libros specialiter prohibitos in sola Lusitania, non potest eosdē legere ubique existens. Si illi in Castella, v. g. sunt specialiter prohibiti, non poterit ibi illos legere absque licentia Tribunalis Castellæ, pro S. Officio, & sic contra de Castellano existente in Portugallia, quia sunt territoria diversa. Unde privilegiatus ut portet arma vetita in Portugallia, non est privilegiatus ut portet illa in Castella eadem ipsa. Et privilegium unius Episcopi non potest derogare privilegio alterius Episcopi. Ita Portel, satis quidem probabiliter.

2. Sed his non obstantibus affirmativam sententiam tenet Hieronymus Rodriq. in *compend. q. Regul. ref. 92. n. 2.* & ante illum Emanuel Rodriq. in *sum. to. 3. c. 250. n. 4.* cum Navarro *tom. 2. tit. de priv. consil. 6.* & ratio est, quia hæc facultas nihil aliud continet, quam gratiam? gratia autem quæ personæ confertur personam sequitur, & cum persona extinguitur, *cap. sone, de priv. vil.* Deinde hæc sententia suaderi ex eo potest, quod facultas ab eo data qui jurisdictione fungitur, non tantam vim habet in suo territorio, quam in alieno, cum in hac parte jurisdictio quæ exercetur in facultate data, non ad contentiosam, sed ad voluntariam jurisdictionem pertineat. Sed jurisdictio voluntaria etiam extra proprium territorium, potest exerceri, veluti excommunicare, absolvere, beneficia conferre, litteras dimissionis concedere & similia: ergo, &c. Sed ut verum fatear, prima sententia mihi magis placet, non tamen damnarem hanc sententiam secundam sequentem.

RESOL. CXLII.

An libri Catholici cum explanatione hereticorum, & commentariis sint prohibiti? Ex p. 5. tr. 13. & Misc. 1. Ref. 16.

§. 1. **P**rima opinio est Patris Suarez de *fide disp. 20. sect. 2. num. 13.* asserentis hos libros esse prohibitos si scholia hereticorum sint magna, secus si essent exigua.

2. Secunda est opinio Sanchez in *summa, tom. 1. lib. 2. cap. 20. num. 25.* asserentis tales libros non esse prohibitos, licet in se contineant scholia hereticorum magna, quia semper talis liber dicitur Auctoris Catholici.

3. Tertia opinio est Hurtadi de Mendoza in *2. 2. disp. 56. sect. 8. §. 303.* ubi existimat utramque sententiam in parte esse veram, bifariam enim scribitur in alicujus auctoris librum. Primum, ut nihil scribatur, nisi faciens explanationi textus, à quo non possit nisi incommodè Commentarius abjungi, ut Commentaria Caietani non possint abjungi à textu Thomistico, quia tota sunt ad explanandam argumentorum vim, oppugnanda adversariorum dicta, & methodum explicandam. Hi libri non sunt prohibiti, quia absolute sunt & dicuntur S. Thom. & non Caietani, si Commentaria sint proluxa, si vera minuta: parum enim interest moles. Quod si considerandum est præcipue quid contineant, quid interest magnitudo, aut paritas, cum in parvo libello possint plures hæreses doceri, quam in alio magno volumine. Si autem præter explanationem alia disputet hæreticus non facientia textui explanando, sed quæ abjungi commodè possunt, liber est interdictus, quamvis sit exiguus, quia verè est ab hæretico auctore. Sic ipsius Patris Suar. Commentaria ab ipso, non à S. Thoma denominantur, complura enim disputat, quæ jam non spectant ad explanationem. Itaque scripta illa à quibus non pendet auctoris Catholici explicatus, sunt prohibita, & liber ob illa, Alioquin occasione explanandi textum, possent hære